3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE CONTINUA,

QUÆ NUPER IN HAC URBE EPIDEMICA FUIT;

EX

EXEMPLIS, APUD NOSOCOMIUM REGIUM TRACTATIS, DEDUCTA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS CHRISTISON,

SCOTUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS & FILIUS.

1819.

THOMÆ SPENS, M. D.

COLL. REG. MED. EDIN. SOC.

ET UNI

MEDICORUM NOSOCOMII REGII AC FEBRILIS,

SUB QUO,

QUODCUNQUE DE HAC FEBRE EPIDEMICA,

ET DE MEDICINA PRACTICA GENERALI,

MIHI COGNITUM,

IN NOSOCOMIO DIDICI ;

ET CUI

VITAM BIS A PERICULO FEBRIS EREPTAM DEBEO,

HOC TENTAMEN

DEDICO,

ROBERTUS CHRISTISON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE CONTINUA, &c.

Febris Continua vix unquam urbem magnam relinquit. Quamquam notis in regionibus non apparet, semper inveniri potest in quodam angulo, ubi viget incuria pauperum, ab utili sed sæpe invidiosa civium solicitudine remota. Ibi latens perdurat, singulos crebro mutatorum habitantium vicissim aggrediens, donec ex aliquo statu aeris peculiari, vel ex mala victus natura, vel quavis alia causa corporibus hominum proclivibus redditis,—gradatim e latebris serpit; tandem palam grassatur, omnesque contagio expositos, divites ac pauperes una peste afficit.

Nostra quoque urbs, quamquam ortui, congestui, et propagationi contagionis, situ parum idonea, suos habet morbos epidemicos. Prope mare posita, et nihilominus supra regiones vicinas altitudine elevata; ventis omnibus aperta, et præcipue Euris ac Septentrionalibus, qui hoc littore et validiores et puriores sunt; ex situ etiam geographico, prope limitem zonæ temperatæ superiorem, diversis aliis revolutionibus atmosphæricis objecta—aerem raro stagnantem habet, multisque aliis effluviorum pestilentium dispersui amicis caret. Attamen quædam regiones sunt ubi vici angusti et inter colles profundi, domus altissimæ, confertæ habitantibus, luce et aere inopes, ab omni ventorum afflatu defensæ, dant receptaculum contagioni; atque inde revera Febres Epidemicæ profluxisse videntur.

Terra supra quam oppidum est conditum, constat e collibus tribus longis, parallelis, altitudine inter trecentos et quadringentos pedes variantibus, atque ab Euro versus Favonium directis. Inter eos duæ sunt valles, quorum septentrionalis paludosa, ædibusque pene ex-

pers, australis autem angustior, domibusque pauperrimorum civium conferta. Habitationes, quamquam confertæ, ordinem satis regularem habent. Nam vicus latus totum medii collis cacumen occupat, alter vallem australem tenet, atque ad hanc ab illo colleque vicino descendentes plurimi sunt angiportus, interdum latitudinis idoneæ, sed sæpissime ita angusti, ut homo humeris extensis ambo latera fere tangere possit. Hic, igitur, aptus contagio fomes certe existit; et profecto longe plurima febris exempla Nosocomiis nostris advecta ex hac urbis parte venerunt. Sed annisusitatis, res supra de situ et aere memoratæ hæc incommoda compensant; et quamquam vix unquam absens, raro magnopere prævalet.

Quare quærendæ sunt causæ, propter quas Febris Continua, principio circumscripta, paulatim auxit, et tandem epidemica devenit. Primum, autem, Febrin epidemicam existere id est, oppidanos multo plures solito febre continua affici nobis persuaderi oportet. Etenim complures audivi latius solito abundasse ne-

gantes, atque olim minus grassari apparuisse affirmantes, quia mens publica non, nisi nuper, strage in aliis oppidis excitata in eam dirigi cœpta est. Sed profecto certa sunt documenta, quæ febrin ita prævalere monstrent, ut magistratus tam alacris vel medicorum attentionem nunquam latuisset, si quo nuper, annis præeuntibus eodem modo grassata esset. Ægri febre laborantes, qui auxilium a Nosocomiis et Dispensariis petiverunt, multo plures, quam annis abhinc multis unquam fuerunt. Ante annum 1817, duo tantum conclavia febrilia, 30 lectis instructa, in Nosocomio fuerunt, atque hæc rarissime impleta sunt. Sed sub finem ejusdem anni, duo alia totidem ægros continentia addita sunt. Ex quo Nosocomium Febrile mense Februario 1818 institutum est, sexaginta ægroti ibi decubuerunt, et in ambabus domibus, ex centum lectis fere nullus unquam vacuatus est. Morbo magis ingruente, mense Septembri febricitantes centum et decem, et ineunte anno proximo centum et viginti lectos occupârunt. A Januario anni 1812, ad Januarium 1817, ægri

506 tantum admissi sunt; anno 1817, 511; atque anno 1818, 1568.

Præterea pauperes febre perculsi, qui ex aliis Societatibus subsidium quæsiverunt, numerum annorum præcedentium magnopere superârunt. Tabula sequens incrementum febricitantium a medicis Dispensarii novi curatorum ostendit.

Inter Kalendas Jun. 1816	& Sept. 1816,	19 curati sunt.
——— Sept. ——	& Dec. ——	28
——— Dec. ——	& Mart. 1817,	49
——— Mar. 1817	& Jun. ——	74
——— Jun. ——	& Sept. ——	77
——— Sept. ——	& Dec. ——	173
——— Dec. ——	& Mart. 1818,	445

Post hoc tempus majorem partem petitorum Nosocomio Febrili nuper instituto remiserunt.

Hujus incrementi igitur hæ sunt causæ.

Ex quo tempore medici ortum febrium epidemicarum observarunt, inventum est ante omnes causas excitantes statum aeris peculiarem eminere. Atque illud certe epidemici hujus nostri experientia illustratur. Anno 1816 æstas plerumque frigida, fere semper hu-

mida fuit; cœlum sæpe per plures hebdomadas nubibus tectum; aër frequenter tranquillus, ventisque inops. Temperies etiam, quamquam aliquando magna, inter extrema frigoris calorisque distantia brevibus intervallis frequenter variavit. Eadem fere de pondere aeris dici possunt: Barometrum raro inter tanta extrema, aut tam crebro et celeriter vacillavit. Hyems subsequens valde erat aperta, humida autem; et quamquam media temperies inusitate alta, mutationes tamen creberrimæ. Sequens annus, scilicet, a vere 1817 ad ver 1818 priori simillimus, etiam pejor fuit. Æstas enim ac Autumnus humidiores, frigidiores, magis variabiles; hyems maxime aperta, pluviosa, et inconstans. Quocirca duos annos, herbis, æque ac animantibus noxios habuimus.

Hinc status ille aeris duabus rationibus propagationem febris promovet. Corpora hominum debilia, morbisque proclivia reddit; atque etiam nutrimenti consueti et quantitatem et qualitatem minuit.

Alia autem causa est insignis, potentia vix

alteri inferior, scilicet status regni politicus. Post finem belli longitudine et magnitudine nunquam superati, reditus pacis quasi contra naturam apparuit. Exercitibus missis factis, et inde ingenti hominum multitudine patriæ reddita; machinarum et armamentorum bellicorum præparatione cessante, operibusque multis idcirco desertis; atque turba tamen opificum aucta,—innumeri pauperes opus amiserunt, inopiaque devicti sunt; atque male aliti, pejus vestiti, animoque miseriis depressi, facillime contagio febrili succubuerunt.

His rebus promota, prope initium anni 1817, Febris adhuc paucis angulis restricta, latius inter pauperum domos grassata est, paulatim vi increvit, menseque Octobri valde frequens devenit. Victimas tamen augere perrexit usque ad finem Februarii 1818, quo tempore circiter centum et decem in Nosocomiis nostris ægrotabant. Per tres quatuorve menses hunc fere gradum obtinuit, et tunc lente in urbe recedere visa est. Quanquam enim in Nosocomiis numerus febrium minime decre-

vit; multi tamen e rure pagisque vicinis, et messores præcipue, qui sæpe contagio in aliis regionibus expositi erant, progrediente autumno venerunt. Causas decrementi, verisimile est, duas fuisse. Nosocomium Febrile, quod ægrotos 60 continere posset, mense Februario institutum est; atque præterea conclavia febrilia in Nosocomio Regio retenta sunt; ita ut omnes auxilium quærentes in unum vel alterum recepti sint. Verum etiam labores Societatis ad Ægros Destitutos opitulandos institutæ, (qua febricitantes, ut primum inventi, in Nosocomium portati, eorumque domus purificatæ sunt), tandem felices apparuerunt, febrinque e quibusdam urbis regionibus expulerunt. Neque æstate benigna ac constante, quæ omnium testimonio morbis plerisque epidemicis inimica, nos fructos esse omittendum. Spes tamen morbi recedentis cito nos fefellit. Nam mense Septembri numerus iterum augebatur; ineunte Novembri Nosocomia petitores multos accipere nequiverunt; hujusque anni initio aliud Conclave Febrile vix ante paratum est, quam lecti

omnes occupati sunt. Mensibus hujus anni primis numerus parum variavit; sed prope finem Martii decrescere apparuit, et Maio fere finito, vix 60 ægroti in ambobus Nosocomiis manserunt. Hoc certe finem Epidemici præsagire videtur, et benignæ tempestatis effectum optime monstrabit.

His præfatis de modo quo Febris Epidemica devenit, oportet jamnunc naturam ejus explorare, et, quibus Medici usi sunt, remedia enarrare.

Febris Continua Edinburgi formam Typhodem raro assumere dicitur; et in hac peste, equidem, rarissime aliquem signis Typhi a Culleno notatis laborantem vidi. Omnes fere casus sub nomine Synocho disponi possunt. Hoc nomen, quoad Nosologiam generalem, sine ullis divisionibus nuper propositis sufficit. Variat tamen in diversis urbibus ac regionibus; et propterea complures varietates pro singulis stabilire, singularum medicis utile foret. Sæpe cogitavi Synochum hanc nos-

tram in varietates sequentes quatuor dividi posse.

1*mo*, Interdum morbus impetum facit cum languore, frigoris sensu, levi capitis dolore, tinnitu aurium frequenti et vertigine, dolore lumborum tendente, sensu quasi corporis totius contusi, nausea et vomitu, tremoribusque. His calor succedit, cum dolore capitis, vertigine et nausea molestioribus, interpositis veruntamen subinde tremoribus, aut sudore brevi. Simul pulsus frequens, validus, et durus; respiratio accelerata, et quasi oppressa; temperies corporis plurimum aucta; facies rubra; oculi suffusi lacrymis, adnataque vasis plena; vultus anxius; positio inquieta, et sæpe mutata. Tandem hæc signa, circa diem undecimum vel decimum quartum, tardo gradu discedunt, aut citius celeriusque evacuatione quadam critica cessant.

2*do*, In aliis, iisdem symptomatis orta est; sed inter secundum et quintum, septimumve diem, internæ cujusdam partis inflammatæ signa superveniunt. Aliquando inflammatio cerebrum aggressa est,—pervigilium, delirium

ferox, oculorum colorem rubrum, speciemque feram et insanam, vultum etiam ruberrimum producens. In aliis tonsillæ membranaque faucium mucosæ affectæ, ita ut Cynanche Tonsillaris, vel Catarrhus prodierit. Inflammatio in aliorum pectus irruit; et tunc æger de dolore lateris, vel sub sterno, sed sæpius epigastrii, inspiratione, tussi et pressura aucto conquestus; simulque tussi sæpe urgente, aut sicca, aut cum expectoratione mucosa, raro sanguinea, vexatus est. Hunc dolorem epigastricum ita acutum vidi, ut vix leviter tangi vel moveri æger toleret. In aliis totum abdomen doluit, tenerrimum fuit, febricitansque crura versus abdomen traxit, nec sine cruciatu extendere potuit. Porro in quibusdam aliis artus crurum et brachiorum dolore et rigore affecti: quod tamen raro nisi Febre recedente incidit; et hoc tempore vix ullus plus minusve Rheumatismi aufugit.

3tia varietas cum Febre Nervosa Doctoris Huxham aliorumque maxime congruit. Ægrum signis mitibus, tardissime increscentibus adorta est. Pulsus aliquando celerrimi, fre-

quentius vero circiter 90 vel 100 in horæ minuto; appetitus ab initio sæpe mansit, vel saltem post primam hebdomadem redit; symptomata catarrhalia vel pleuritica, sed levia adfuerunt; iisque delirium mite comitatum, id est, æger confusus apparuit, excitari tamen facile potuit, ut rationaliter quamvis pigre responderet, sed cito in statum torporis recidit. Gradus omnes tardissime progressi sunt; etiamque febre transita, æger lentissime convaluit.

4to, Aliquando febris cum signis morbi levis initium sumpsit, eodemque modo miti per aliquot dies perrexit: sed subito symptomata gravissima ægrum aggressa, et in terram quasi perculsus cecidit, tum rebus plerisque externis insensilis devenit, humeros, femora, et cunctas fere corporis partes violenter jactavit, sæpe exclamavit, verum articulare nequivit, ad quæstiones nec respondit, nec eas intelligere visus, oculi aperti et efferati, iris autem vim contrahendi retinuit. Si propriis remediis non cito levatus, paulatim debilior factus; motus vehementes exclamationesque desie-

runt; facies etiam pallida evenit, quamquam oculi feroces perstiterunt; et celeriter mors supervenit.

His quatuor varietatibus nomina sequentia dabo; quia hoc modo observationes cæteræ facilius intelligentur; viz. Synochus Pura,— Inflammatoria, Nervosa, et Spasmodica. Forsitan singularum exemplum proferre utile erit, naturamque ac differentias omni descriptione melius explicabit; atque observari potest nonnulla eorum notatu digna quoad methodum medendi in Nosocomiis adhibitam.

I. N. G. puella annos natu septendecim, robusta et plethorica, die febris sexto, prope Idus Septembris 1818 in Nosocomium admissa est. Dolore capitis acuto, vertigine, oculorum rigore et suffusione, vultu oppresso, rubore faciei, sensu caloris, nausea, cupiditate vomendi et frequenti vomitu affecta. Simul pulsus 136, parvi sed valde duri, lingua muco denso onusta, cum siti urgente. Nihil dormiebat, appetitus nullus, cutis arida fervens-

que, respiratio accelerata et quasi oppressa. Sanguinis unciæ viginti octo statim pleno rivo e brachio emissæ, nihil præterea nisi decocto avenæ pro potu dato. Proximo mane faciei rubor, oculorum suffusio, corporisque calor, imminuta sunt; nausea autem, vomitus, vultus anxietas, celeritasque pulsuum perstabant. Sed circa meridiem, post levem sudorem, pulsus 82 et placidi, lingua purior et humidior, sitis multum imminuta, respiratio naturalis, dolor capitis et nausea fere nulla. Ex hoc tempore robur celeriter acquisivit, et die febris decimo quinto sana dimissa est.

II. I. B. puella annos nata quatuordecim, eodem fere tempore, die febris quinto, ingressa est. Dolorem capitis et vertiginem epigastrii dolorem, inspiratione, tussique auctum, abdominis etiam dolorem vehementem, ita ut tactum ferre nequiret, calorem tremoremque alternantem, nauseam, corporis totius quasi contusionem conquerebatur. Pulsus centum et octodecim, pleni et duri, lingua alba cum siti maxima, alvus astricta, cutis sicca et ardens, cum petechiis nonnullis purpureis, facies

rubra, respiratio valde accelerata et oppressa. Sanguis ad uncias xviii missus est, et postea mistura cathartica data. Venæ sectionem sudor benignus cito secutus est, et mane proximo pulsus 74 et placidi, capitis et abdominis dolor pene evanuit, epigastriique multum imminutus, cutis refrigerata, sitis nulla, petechiæ pauciores et obscuriores. Cito convalescebat, et die febris duodecimo sua sponte abiit.

IIltiæ varietatis phenomena quotidiana enarrare inutile esset; mutationes præcipuas, ut in amico et consanguineo occurrerunt, notare sufficiet. * * annos natus circiter viginti duos, Academiæ hujus alumnus, forma corporis robustus et plethoricus, languore, frigoris sensu, vertigine, nausea, et miti capitis dolore, prope finem Januarii præteriti anni correptus est: Quæ symptomata per sex septemve dies continuabant, antequam in lecto decumbere coactus est. Tunc dolore acuto, calore corporis minime vehementi, debilitate summa et vigilia afficitur. Facies simul rubra et oppressa, oculi suffusi, pulsus circiter 94, temperies 101°, alvus adstricta, lingua alba,

respiratio nonnihil accelerata. Hoc tempore sanguinis uncias xvi e brachio misi, et dolor capitis abiit, nec unquam postea rediit. Prope finem septimanæ secundæ, tussis sine dolore pectoris, lingua arida, deliriumque mite supervenerunt. Deinceps vultus maxime confusus, lingua sicca, fusca, et simul ac dentes, sordibus sæpe tecta. Capillitio abraso, et capite aqua et aceto sæpissime indies lauto, morbus minime recedebat; contra confusio augebat, urinam fæcesque inscius reddebat, cutisque supra sacrum decolorari cœpit. Attamen noctu placide dormiebat, satisque cibi sumere semper poterat. Vinum tum tentatum symptomata potius auxit. Hoc statu per sex fere hebdomadas perstante, confusio tandem diminuit, facultates animi sensim redierunt, atque e lecto sub finem septimanæ nonæ primo exsurgere cœpit. Tardissime autem robora sua recuperavit. Mense Junio vix per duo millia passuum incedere potuit, et etiam Septembri artus adhuc debiles rigidique manserunt.

IV. G. S. sutor, anno ætatis decimo octavo, habitus corporis tenuis, temperamentique

potius melancholici, prope finem Julii 1818 iisdem fere symptomatis, quibus prior æger, correptus est. Die febris sexto dolorem pectoris et tussiculam conquestus est, et tunc primo in lectum se recepit. Die octavo delirium mite per breve tempus adfuit; sed postridie mane furibundus et intractabilis derepente evenit. Hoc tempore in Nosocomium admissus est. Facies ruberrima; oculi suffusi, et efferati; iris magna, sed luce admota contrahens; nec articulare nec aliquid haurire poterat; excrementa omnia inscius reddebat; totum corpus agitare et magna voce exclamare nunquam desinebat. Pulsus 110, parvi sed duri fuerunt; lingua alba et humida; cutis haud magnopere ardens; respiratio celeris et oppressa. Arteria temporali secta, sanguinis unciæ xviii eductæ; capillitiumque deinde abrasum, et lintea frigida capiti applicata. Postridie, quamquam magis silens et quietus fuit, alia symptomata perdurabant. Enema adhibitum, et sanguis e brachio ad uncias xvi missus. Proximo mane deglutitio liberior fuit, respiratio minus celeris, atque quosdam amicorum agnovit. Pulsus tamen 136 et debiliores

fuerunt. Vespere respiratio accelerata atque interrupta devenit, pulsusque ita fluctuarunt, ut numerare nequirem. Hirudines duodecim capiti applicitæ, misturaque cathartica adhibita est. Postridie obiit; et in secto cadavere nihil nisi vasa cerebri aliquanto turgida invenimus.

Harum varietatum prima rara, ac potissimum æstate vel autumno observata. Revera Febrin per totum fere annum plus minusve observavi, et nihilominus, antequam ipse correptus sum, Synochi Puri nullum exemplum vidi. Quarta varietas frequentior, sed adhuc rara: Quinque vel sex casus tantum vidi, et omnes inter autumnum. Tertiæ complures casus, sed pauci, quam in exemplo narrato, tam diu in Nosocomiis decubuerunt. Verum multo fuit creberrima secunda vel inflammatoria, quâ sane laborantes innumeros ægros vidi.

Prognosis, quam olim in hujus urbis febre, nuper faustior fuit. Nam, an plures fe-

bricitantium sub medicorum oculis venerint, et in Nosocomio admissi sint, an natura pestilentiæ solito benignior, an methodus medendi magis naturæ ejus accommodata, certe (quoad rationem ægrorum numeri) in paucioribus fuit fatalis. In prioribus annis decem ægrotorum unus vulgo periit, et anno 1817, ratio curatorum mortuorumque fuit ut $14\frac{1}{2}:1$; anno 1818, ut $19\frac{1}{8}:1$; et in quinque mensibus hujus anni primis ut $30\frac{1}{2}:1$. In Nosocomio Febrili ratio etiam major; nam anno 1818 ut $20\frac{24}{34}:1$, et 1819 ut $37\frac{1}{9}:1$ fuit. Tabula adjuncta curatos mortuosque ab ineunte anno 1817 monstrat.

	Anno 1817.		Anno 1818.						Anno 1819.					
			Curati in Nosoc.			*Mortui in Nosoc.*			*Curati in Nosoc.*			*Mortui in Nosoc.*		
	Cur.	Mor.	Reg.	Feb.	Amb.	Reg.	Feb.	Amb.	Reg.	Feb.	Amb.	Reg.	Feb.	Amb.
Jan.	19	3	87		87	9		9	81	67	148	2	2	4
Feb.	17	0	90		90	6		6	70	57	127	3	3	6
Mar.	18	1	90	42	132	5	4	9	64	72	136	1	2	3
Apr.	38	2	58	71	129	2	4	6	62	65	127	3	0	3
Mai.	34	4	45	61	106	2	2	4	58	73	131	2	2	4
Jun.	26	1	61	72	133	4	3	7						
Jul.	33	3	42	66	108	3	2	5						
Aug.	39	3	44	83	127	2	2	4						
Sep.	49	3	60	56	116	1	3	4						
Oct.	53	1	81	90	171	2	5	7						
Nov.	59	6	53	84	137	3	2	5						
Dec.	93	6	73	84	157	2	7	9						
	478	33	784	709	1493	41	34	75	335	334	669	11	9	20

Prope finem, igitur, febris quam initio minus fuit exitialis, et hoc facile explicari potest. Nuper enim omnes fere per totam urbem febricitantes in Nosocomia deportati sunt, et plerumque breviori tempore impliciti fuerant. Principio autem plurimi in domibus suis miseris decumbentes, auxilioque medico inopes, aut interierunt aut non nisi sero perfugium Nosocomii petiverunt. Illo tempore vix unquam citius die febris septimo, raro sane nono venerunt; atque in compluribus morbus, per duas hebdomadas perlatus, ultra medici potentiam progressus est. Neque omittendum methodum medendi multo melius prope finem quam initio epidemici intellectam esse.

Prognosis in divitibus quam pauperibus infaustior fuit. Multi civium locupletiorum correpti sunt, atque plerique occiderunt. Complurium etiam studio medicinæ incumbentium febre implicitorum omnes severe affecti, et aliqui interierunt.

In illis etiam qui multum contagioni expositi sunt, prognosis infelicior. Nam medicorum Nosocomii domesticorum fere nullus con-

tagium evasit; unus necatus; omnesque, uno excepto, impetum asperum habuerunt. Eadem dici possunt de nutricibus, quarum nonnullæ perierunt.

Feminarum quam virorum multo plures correptæ sunt. Ægrotorum quadringentorum medicis Societatis "New Town Dispensary" nominatæ curatorum, feminæ circiter 226 fuerunt *. Ex ægris 825 Nosocomii Regii, anno 1818 curatis, 352 mares et 473 feminæ fuerunt; atque ægrotorum 743 Nosocomii Febrilis tractatis, 319 mares, feminæque 424 fuerunt. Hoc in Epidemicis sæpe observatum, et pendet ab eo quod feminæ amicos ægrotos curare soleant, dum viri operibus suis singuli foras occupati minus contagio objiciantur. Viri tamen plures trucidati, reactione systematis, propter vivendi modum, violentiore excitata. Febricitantium 41, Nosocomii Regii præterito anno mortuorum, 22 mares, et 19 feminæ fuerunt. In gravidis, præcipue si mensem sextum septimumve compleverant,

---

* Med. & Surg. Journ. xiv. 257.

prognosis infausta. Febris enim semper severa fuit, abortum plerumque induxit, et in quibusdam mors secuta est.

In illis qui multum fatigationi ante accessum se exposuerant, ut in messoribus et opificibus, febris sæpe tarda fuit, et nervosam varietatem referebat. Hæc varietas etiam minime debiles aggressa est: In omnibus exemplis quæ ipse vidi, ægri semper juvenes robusti, sæpe validissimi, atque, quoad temperamentum, sanguinei fuerunt. Pauci prima varietate laborantes, quos egomet vidi, juvenes et sanguinei fuerunt, omnesque salutem recuperarunt. Prognosis, igitur, faustissima. Juvenis profecto aut hâc aut Synocho inflammatoria implicitus, si medicus mature ei auxilio venit, fere semper periculo eripi potuit. Synochus Nervosa nunquam fatalis fuit, nisi forsitan Dysenteria comitante. Synochum inflammatoriam aliquando lethalem vidi, præcipue autem in senibus, aut qui vel neglecti vel male tractati fuerant. Quarta varietas potius melancholicos adoritur, et plerumque

necat. Unum tantum ex undecim vel duodecim exemplis servatum vidi.

Prognosis specialis, sæpe receptis sententiis inimica, a symptomatis singulis derivari potest.

Hujus Epidemici symptomatum descriptionem minutam reddere inutile esset; recensionem generalem sub oculis extendere sufficiet; atque dum pergimus, quæ a singulis præsagienda sunt, facile enarrare possumus.

Sensus externi complures affecti fuerunt.

1*mo*, Tactus, quoad cutim, vix alius quam naturalis; dolores enim plerumque interni exstiterunt. Fere semper adfuit dolor capitis, natura varius—acutus vel obtusus, pungens, constringens, vel pulsatilis—aut totius capitis, aut frontis tantum, coronæ vel occipitis. Actionem vasorum auctam, minime inflammatoriam (nisi cum aliis signis bene notis junctus) denotavit. Dolor præcordii, pressura, tussi et inspiratione auctus, fere constans, alio-

rum pectoris regionum rarior fuit. Abdomen totum vel pars sæpe tactu ac extensione crurum dolebat. Arthrodynia, febre perstante, rara, recedente frequens. Hæc omnia actionem partis inflammatoriam adfuisse monstrant; semper autem cum febre generali abierunt, atque paucissimos mortuorum Phlegmasia ulla occisos vidi. Præterea, anxietas febrilis, inquies, jactitatio, dolores lumborum crurumque quasi contusorum rarissime abfuerunt, ægrorumque molestiis multum addiderunt.

2do, Visus plerumque parum mutatus. Oculi autem in plurimis quasi distenti, lacrymis suffusi et nitentes, conjunctiva vasis sæpe rubra, atque lux plus minusve molesta fuit. Hæc actionem capitis vasorum violentam, at minime periculum magnum indicarunt. Verum palpebras patulas, irim contractam, oculosque feros, quæ in varietate Spasmodica occurrerunt, semper pene desperantes vidimus. Vertigo nunquam abfuit.

3tio, Auditus raro acutior, quamquam soni molesti ; interdum obtusus ; sæpe depravatus. Tinnitus aurium vel alia talis hujus sensus de-

pravatio, raro initio abfuit, sæpe progressui febris comitata est. Quandoque surditatem notavi, in severis casibus tantum; et signum fuit, ut vulgo dicitur, felix. Veruntamen puella surdissima febre facta, principio autem domi male tractata, in Nosocomio interiit. Sæpissime in senibus inventa est; atque etiam in iis nunquam diuturna; sed, ægro convalescente, paulatim abiit.

4to, Gustui plurimorum nihil placere potuit, multi sensu gustus pravi vexati sunt, et appetitus cibi vulgo abiit. Attamen ii, qui varietate nervosa laboraverunt, semper paululum edebant, et sæpe plus justi appetiverunt—signum sane omnium consensu optimum, quippe qui, alias infaustis symptomatis oppressi, nunquam perierint. Febricitantes profecto nunquam siti carebant.

5to, Olfactus actionibus febrilibus raro implicatur; profecto nisi a catarrho aliis molestiis adjuncto, integer semper permansit.

Sensuum internorum læsio, sive delirium, si febris perstitit, plerumque secunda currente

septimana supervenit. Tunc medico minime metuendum est; sed si ante finem primæ septimanæ appareat, jure periculum prædicit. Natura delirii varia, variaque auguria præbuit. Plerumque mite: Æger horas loquela, cantu, risuque absumpsit, quæ omnia ab adstantibus sisti facile potuerunt, cito tamen renovanda. Hic, prognosis a tempore ejus adventus pependit, et sæpenumero felix. Illa etiam species quæ febri nervosæ comitata est, ubi æger valde confusus fuit, tarde responsa dedit, et (præsertim inter somnum) sæpe mussitavit, periculum haud præsagivit. Sed nemo est expertus, qui delirium ferox cum agitatione corporis, clamore, perpetuoque cupidine lectum relinquendi, sine horrore adspicere posset. Si initio mite, paulatim asperius, tandem ferox devenit, satis infaustum; si ferox subito miserum adortum est, rarissime non lethale.

Vis Musculorum Voluntatis modo inexplicabili a febre frangitur. Diminutio, sæviente morbo, semper magna, sæpe extrema fuit; peractoque, quamquam per sex septemve dies

tantum perduravisset, tanta debilitate relicta, discrimen inexperti sæpe metuerunt. Complures methodo deplenti contra sensuum testimonia inimici, hanc infirmitatem nimiæ sanguinis detractioni tribuerunt. Verum injuria: Nam debilitatem diuturnam, febre severa ortam, ab illa fugaci depletionem copiosam sequente differre postea verisimile reddam. Motus musculorum abnormis forsan duo sunt gradus, sub nomine Subsultus comprehensi. Etenim aliquando tendines, præsertim carpi, sine artuum, nisi levi digitorum, motu, subsiliunt. In aliis subsultu vehementiore producuntur manuum, brachiorum, et humerorum quoque actiones, facile ab adstantibus impediendæ. Ambæ deprecandæ: Prima raro non exitialis; ab altera, quanquam funesta, complures ereptos vidi.

Somnus iis varietate Nervosa implicitis plenus adfuit, auguriumque bonum dedit; aliis magnopere defecit, sed semper, redeunte valetudine, cito rediit. Nonnunquam æger, jamjam molestia liberatus, interdiu noctuque dormiens, excitatusque responsa pigerrime

reddens, observatorem negligentem metu hydrocephali perculit. Singuli status autem medico proprias notas intuente facile dignoscuntur.

Pulsus rarissime manserunt immutati. Plerumque crebri, sæpe pleni durique evaserunt, sed maxima ex parte parvi, acres, digitumque explorantis veluti chorda metallica ferientes. Alia motus sanguinis vitia rariora prognosin methodumque medendi insigniter direxerunt. Harum una fallacissima fuit. Nam pulsus ita parvi, ut, nisi summa cura adhibita, vix sentiendi fuerint; attamen acres, quasi pilus equinus digitum percussisset. Semper huic conditioni delirium multum vel confusio summa, inæqualis caloris distributio, et debilitas extrema juncta sunt. Augurium infelix; solamque spem in venæ sectione reposuimus. Pulsus revera debiles in tribus morbi conditionibus observavi—in Typho puro, in ægrotis, et præcipue senibus, moribundis, atque cum signa Enteritidis severa adfuerunt. In febre Nervosa arteriæ sæpe peculiari modo micuerunt. Ægrum enim hac varietate labo-

raturum, ex pulso pleno, fluctuante, fere dicroto, prope morbi initium aliquando prædictum est. Pulsus intermittentes in uno ægro cum signis manifestis cordis inflammati conjunctos, in compluribus aliis sine indicio ullo socio vel consecutione obvia vidi. Quandoque Syncope e positione erecta accidit, et quanta debilitas a severo febris impetu oriatur monstravit.

Sanguis Febrilis natura variavit. Aliquando sanginem e vena ita floridum et per saltum fluentem vidi, ut mihi metum arteriæ subjacentis vulneratæ primo perculerit. Hoc in impetibus tantum acerbissimis, ac sæpius in recidivis quam primariis notavi. In varietatibus Puris et Inflammatoriis pleno rivo missus crustam albam ostendit, rarissime concavam, sæpe crassitudine tribus lineis æqualem, adeoque tenacem ut vix nisi scalpello acuto eam secare possem. Initio febris, scilicet die tertio, quarto, quintove quam septimo, octavo, &c. frequentius observata est. Varietas Nervosa raro speciem sanguinis naturæ alienam exhibuit. Sanguis infelicium varietate Spas-

modica morti deditorum raro crustam albam induit, contra in massam rubram et integram, sine sero separato, plerumque concrevit.—Sanguinem ter quaterve laxum, quasi dissolutum, colorisque albidi et variati vidi. Venæsectio iis, quorum sanguis crustam albam ostendit, sæpius quam aliis profuit.

Respirationem Febris hæc semper acceleravit, ac interdum usque ad sexaginta vel plures in horæ minuto repetitiones. Simul inspirationes breves; si pulsus durissimus, interruptæ, vel quasi tremulæ; sæpissime dolore pectoris impeditæ; in febre nervosa, atque moribundis strepentes, veluti aer per foramen angustum expulsus esset; atque raro stertor quartæ varietati funestum symptoma adfuit. Organa respirationi inservientia sæpenumero inflammatione implicita sunt. Signa catarrhalia vel pleuritica, aut cynanche tonsillaris vel pharyngea, ægrotum sæpe multum cruciârunt. Tussis aliquando sicca, frequentius cum expectoratione mucosa, primo difficili, postea magis soluta, rarissime abfuit; atque compluribus capitis, faucium, lateris, præ-

cordii vel abdominis dolorem summum excitavit.

Concoctio ciborum, nisi iis varietate Nervosa affectis, semper defecit; ægro autem convalescente, cum maxima perfectione rediit. Vias Primas variæ affectiones morbidæ afflixerunt. Medici de natura febris et terminatione semper e Linguæ statu præclare judicârunt. Initio alba punctisque rubris variata; deinde siccior, ac ut plurimum crusta flavescente onusta; postremo fusca, rigidissima et aridissima est exorta. Febres puræ ac inflammatoriæ conditionem primam secundamve ostenderunt; fusca impetum lentum, nervosam varietatem referentem sæpe præsagivit. Lingua arida, dura, nigra, tremens, in os posterius retracta, ægroque haud extrudenda morti fere certæ antecessit. Crusta tamen nigra aliquando fæces morbidas in colo congestas denotavit, hisque ope purgantium expulsis abiit. Linguæ margo humidus purusque evadens omen optimum attulit; et plerumque huic mutationi, ante horas duodecim exactas, sudor benignus successit. Linguam aridam, mollem,

politam, nitentem, coloris fusci instar hepatis, vesiculisque minimis refertam ante signa gradibus tardis in melius conversa bis terve conspexi.——Ventriculus raro non affectus est. Febris incipientis nausea et vomitus plerumque signa præclara fuerunt, atque sæpe per totum decursum perduraverunt, stomacho ita irritabili reddito, ut ingesta omnia æger protinus rejecerit. In his exemplis summam debilitatem, forsitan nisu musculorum abdominalium aliorumque frequenti productam febri abactæ succedere observavi.——Alvum ægri jamjam in Nosocomium admissi fere semper adstrictam, aliquando per sex vel octo dies haud solutam, invenimus. Interdum difficillime movenda, fæcesque nigræ fætidæque cum ingenti commodo expulsæ sunt. Alvi fluxus rarior, atque si fæces copiosæ, tenues, colorisque naturalis, reddita sint, quamquam rarissime criticus, febrin certe depressit. Hic status varietati Nervosæ sæpissime comitatus est. Alia diarrhœæ species nullo modo cohibenda permultas feminas senescentes, finita

febre, aggressa est, cui post curas diuturnas fere semper tarda mors supervenit.

Complures Secretionum conturbatæ sunt. Lacrymæ sæpe abundantiores fluxerunt; mucus narium, gutturis, et tracheæ secundùm catarrhi comitantis stadium, vel minutus, vel auctus; saliva orisque mucus forsitan depravatus, si ex sensu mali gustus linguaque fœda judicasse liceat. Cynanche quidem Parotidæa raro accidit, critica autem fuit, et post febrem aliquot dies perdurata, tunc paulatim abiit. Secretio Bilis sæpenumero affecta fuit; nam in compluribus, nutricibusque præcipue, febris Synochi Icterodis formam induit. In his fel plerumque occlusum, sed, si ex nausea violenta atque fæcibus luteis copiosisque judicandum est, abundantia fellis aliquando cutim flavam induxit. Quamquam Synochus hæc Icterodes semper severa, atque periculosissima apparuit, nunquam cum aliis hepatis affecti signis conjuncta fuit, atque raro ægrum necavit. Urinæ parum attentionis dedi. Morbo sæviente aliquando fulva, sedimentumque copiosum deposuit: sed sæpissime a statu na-

turali haud alienam vidi. In viro Synocho Icterode implicito lutea et turbida fuit; in cæteris hac varietate affectis, rubri coloris, Hæmatoxyli Campechiani infuso similis fuit. Natura ejus in varietate Spasmodica nunquam observanda, quoniam hanc, simul ac fæces, semper in lecto miser inscius reddidit. Signum illud vulgo auspicium triste porrexit, febri tamen Nervosæ socium sine metu conspexi.

Functiones Cutis raro immutatæ restiterunt. Principio cutis anserina, arida, frigida cum calore corporis et deinde sudore aliquando copiosissimo, nunquam salutari, alternata est. Posthac cutis constantius arida stetit; et tunc sudor, nisi vomitu aut vi medica leviter extrusus, fere semper febrem abstulit. Sudores critici, præsertim postquam venæ sectio libera remedium nosocomiale devenit, fuerunt frequentissimi. Sæpissime quinto, septimo, vel nono die, raro tertio, rarius adhuc die non critico eruperunt: atque e diebus non criticis sæpissime sexto apparuerunt, qui sane tertio vel nono fere fuit æqualis. Ex exem-

plis triginta tribus crisis plenæ per sudorem, quæ mense Augusto, Septembri et Decembri diligenter notavi, sudor in 3 die tertio, in 1 quarto, in 12 quinto, in 4 sexto, in 9 septimo, in 1 octavo, et in 3 nono erupit. Febris raro serius sudore resoluta est. Hi sudores ita fuerunt benigni, ut in severissimis casibus, post sudorem quatuor vel sex horarum, omnia symptomata profluxa, pulsusque arteriarum 56 vel 60 ictibus diminutos viderim. Eventui huic optando linguæ margo humidior puriorque sæpe aliquot horis antecessit. Nervosam, in qua cutis aridissima, nunquam febrin sudor finivit; atque in Spasmodicis levis tenaxque adfuit, fœtoremque muris odori haud absimilem perfudit.

Temperies corporis semper aucta, sæpe magna fuit, ac præcipue in junioribus usque ad gradum centesimum et septimum surrexit. Sensus digito tangenti variavit. Cutis enim plerumque calida, sæpe pungens apparuit, et tunc aridissima, quasi vesicam arefactam tetigisses. Aliquando caloris distributio inæqualis, facie cervicibusque rubris et ferventibus,

trunco frigescente, atque manibus pedibusque gelidis, pessimum omen præbuit. Cum illo pulsu supra memorato, valde exiguo sed acri, capitisque sanguine oppressi signis conjuncta est.

Petechiæ frequentes fuerunt, febrique severæ, raro lethali comitatæ sunt. Duorum fuerunt generum. Interdum die quarto quintove apparuerunt parvæ, sparsæ, coloris rubri inter illum sanguinis venarum arteriarumque. Hæ semper post paucos dies sine incommodo abierunt. Alteræ autem ampliores, fusci coloris lentiginibus similes, totum fere corpus occupantes circiter diem undecimum eruperunt, signis aliis etiam pessimis comitantibus, scilicet, delirio mussitante, subsultu tendinum, deglutitione difficili, lingua arida, rigida, nigra, tremente, atque facie Hippocratica. Prima varietas minime timenda, altera autem pessimi est ominis. In Febre Nervosa semel maculas informes, roseas, rubeolæ similes, sed sine cuticula elevata, et sine periculo vidi.

Aliquando, ut supra memoravi, febris cum flavedine cutis juncta est. Initium modo so-

lito sumpsit, et præcipue varietatem Inflammatoriam retulit. Sed circa quartum aut sextum diem cutis levem colorem flavum acquisivit, cum multa animi depressione, summa debilitate, lingua onusta, pulsibusque infirmis ac celerrimis. Color postquam per plures dies increvit, tandem evanuit, octoque diebus exactis plerumque penitus abiit. Hæc Synochus Icterodes tantum senes, et frequentissime nutrices Nosocomiales adorta est. Minime, ut vulgo dicitur, omen est pessimum; nam semel vel bis tantum lethale, quamplurimos periculo ereptos vidi.

Interdum cutis supra sacrum, scapulas, et trochanteres abraditur, et postea crusta nigra gangrænam celante tegitur. Hoc, quamquam malum, minime est lethale; nunquam enim aliquem febricitantem vidi, qui propter sphacelum dorsi interiit. Omnes autem lentissime ad sanitatem redierunt.

Quoad Nutrimentum corporis, semper febre durante cessat. Partes molles magnopere decrescunt; sed celeritatem qua convalescentes torosi pinguesque deveniunt sæpe admiratus

sum. Pilos, ungues, etiam ossa eorum, quorum statura nondum plena, magis solito increscere e compluribus exemplis verisimile puto. Non dubitari potest quin ossa fiant longiora. Mihi ipsi per dies septendecim febre laboranti, et totidem antequam e lecto surgere potui convalescenti, octo lineæ longitudinis addita sunt. Quibus causis hoc tribuendum est? Anne harum partium vasa nutrientia, aliis minus irritabilia, motu febrili tantum ad actionem majorem et adhuc sanam excitantur; dum musculorum, telæ cellulosæ, cæterarumque partium arteriæ ultimæ, magis sensiles, propter violentum impetum, alendi functionem propriam amittunt? Istis enim concessis, nonne quæ ex his absorbentur, illis nutrimentum supplebunt, quamquam cibus nullus sanguini incrementum suppeditat? Vel auctæ actioni nutrienti tribuendum, quam cunctæ corporis partes, ægro convalescente, participant?

Antequam Methodum Medendi designo, restat ut de Febribus Recidivis, Im-

petibus Secundis, morbi Sequelis, Diebus Criticis, Cadaverumque Sectionibus pauca dicam.

Febres Recidivæ, seu erroribus Diætæ, sive animi affectionibus, sive ægro, citius recto, lectum relinquente, creberrime inductæ fuerunt. Ægroti convalescentes ita frequenter propter diætæ errores relapsi sunt, ut in Nosocomio Febrili cibos animales solidos medici penitus aboluerint. Aliquando anxietate propter liberos domi desertos, sæpe mortui cognati nunciis, semel patris ebrii maledictis inductam vidi. In multo majore numero, tamen, causa fuit nimium e cubili exsurgendi desiderium. Nam juvenes ope venæsectionis mature febre liberati lectum vinculis comparabant, atque, quamquam vestimenta celavimus, stragulo tecti pedibusque nudis conclavia perambulabant.—Febres Recidivæ semper severæ, plerumque breves, raro signis inflammatæ cujusdam partis comitatæ, in quamplurimis sudoribus criticis coercitæ, et sudores illos sæpius quam in febribus Primitivis tremores violenti præcesserunt. In uno exemplo tantum Febrin Recidivam lethalem vi-

di. Plerumque subito inceperunt, tremoribus plus minusve severis initium monstrantibus: Verum aliquando (et præsertim in senioribus) post crisin diaphoreticam et completam, vidi pulsum paulatim acceleratum, linguam aridam et fuscam evenientem, et symptomata pristina tardo gradu redeuntia, donec Febris primitivæ simillima sit formata.

Quoad secundos impetus, vel febris post longum intervallum reditus, hæc observanda sunt. Illi qui multum contagio expositi sunt nunquam tuti: Nutricum enim Nosocomialium satis diu manentium nemo febrin secundam evasit; plures aliorum servorum bis adorta est; ac egomet, tresque sodales, quinque vel sex mensibus post primam febrin peractis, iterum morbo impliciti sumus. Tertium impetum nunquam vidi, verum aliis occurrisse dicitur.

Doctrina Dierum Judicialium certe hujus Epidemici experientia confirmatur, ut ex subjuncta Tabula videri licet. Inter Kalendas Augusti Idusque Octobris, Doctor Spens

ægrotos 80 a Nosocomio dimisit, quorum crises sic acciderunt:

Die	3tio,	5	9no,	5	15to,	1	20mo,	1
	5to,	14	11mo,	5	16to,	1	21mo,	1
	6to,	2	12mo,	1	17mo,	1	27mo,	1
	7mo,	8	14to,	5	18vo,	1		

Et in viginti octo aliis, vel propter ægrum introitu convalescentem, diemque morbi ineuntis ignorantem, vel quia molestiæ sine crisi obvia abierunt, dies crisis non nobis cognita fuit. Sudores benigni raro die non critico, aliquando die tertio, nono vel undecimo, sed plerumque quinto septimove eruperunt. Febris sine sudore finitæ dies mutationis sæpissime undecimus, vel decimus quartus, interdum decimus septimus fuit; sed has, imprimisque nervosas iterum iterumque die non judiciali in melius mutatas esse celare non oportet. Febres recidivæ sæpissime die undecimo, decimo quarto, et decimo septimo exortæ sunt, atque tertio quintove cessavere. Mors die undecimo, decimo quarto, vel decimo septimo, ut plurimum accidit.

Morbos hujus Epidemici nostri sequelas minime multos vidimus. Phthysin sexies supervenientem memini, bis in Nosocomio mortiferam, eventu in aliis ignoto. Abscessum Lumborum, ægroto salutem recuperante, Purpuramque Hæmorrhagicam sanguine misso curatam, singula semel conspexi. Complures crurum œdemate, quorum omnium fata ignoro, correpti sunt; sed observandum, Sequelam hanc tantum senes vel debilissimos aggressam esse, et nunquam eos qui multum sanguinis amiserant. Morbum Phlegmasiæ Dolenti simillimum, hirudinibus et fotu assiduo curatum, in duobus mulieribus, haud puerperis inveni. Cynanche Parotidæa raro fuit causa crisis.

Sectiones Cadaverum febre mortuorum scientiæ parum addiderunt. Capita omnium, varietate Spasmodica necatorum aperuimus; semperque vasa piæ matris leviter turgida, fluidi viscosi paululum in hujus membranæ cellulis effusum, serique aquosi drachmas circiter duas in ventriculis, semunciam in basi cranii invenimus: Species profecto vix ita morbidæ

ut illa signa gravissima, aut mortem produxissent. In senibus ista diarrhœa lethali trucidatis ilia inferiora semper corrosa observavimus. Porro columnam vertebrarum sectam vidi. In quatuor exemplis autem ea thecæ vertebralis inflammatæ signa, scilicet rubedinem serumque effusum (quæ aliis occurrisse dicitur) nunquam conspexi.

Methodus huic Epidemico medendi a receptis medicorum sententiis fuit aliena. Profecto Indicationum a Culleno institutarum vix alia quam prima exstitit. Quidam hoc naturæ febris melius cognitæ tribuere voluerunt. Sed forsitan naturæ febris mutatæ multum tribuendum est. Etenim complures medici, observandi facultate jure præclari, qui nunquam Febrin Inflammatoriam quasi Typhum tractassent, nuper opiniones pristinas deseruerunt, sanguinemque copiosissime hauserunt. Præterea febres ejusdem regionis epidemicas diversis temporibus inter sese differre e priorum medicorum scriptis apparet.

Inter medicos, tamen, hujus urbis, de natura Epidemici nostri parum constat; alii eundem, ut annis prioribus; alii plurimum differre affirmantes; neque me quæstionem resolvere posse profiteor. Verum hoc observandum, symptomata in exemplis Nosocomii nostri libris quadraginta abhinc annis traditis parum a signis epidemici instantis aliena esse.

In hoc Epidemico missio sanguinis liberrima summum fuit remedium. Prima Edinburgi quidem introductio praxi Nosocomiali debita; atque dubito an ardore tanto aut talibus in exemplis adhuc usquam alibi exercita sit. Tribus propositis applicata fuit; nempe, 1*mo,* ad morbum subito cohibendum; 2*do,* ad reactionem generalem; vel, 3*tio,* ad signa singula mitigandum.

I. Ut febris cursus Venæ sectione cohiberetur, ægrotum, die septimo nondum finito, Nosocomium accessisse plerumque necesse fuit. Quamquam enim morbi subito diebus proximis repressi haud exempla desunt, rara tamen fuerunt; neque medicus hoc multa

cum fide expectare potuit. Ipsis diebus primis tamen advenisse minime necessarium; quia sanguis ante febrim plene formatam missus ægrotum curis rarissime liberavit. Signa raro die tertio, frequentius quarto sextove, sæpissime quinto vel septimo, sub hujus remedii usu evanuerunt. Nisi signa severissima moram denegent, sanguinem die quarto mittere semper optarem: nam hoc modo sudor criticus certissime die quinto erupit. Cum hoc remedium die critico applicuimus, signorum decessus plerumque eodem die evenit; sed sanguinem die non judiciali missum mutatio non nisi die proximo secuta est. Febres Recidivas etiam die primo vel secundo, sæpissime tertio repulit. Tempus diei, quo certissimum fuit, vespertinum, ubi ursit exacerbatio, omnibus apparuit.

Varietatibus Puris ac Inflammatoriis maximo cum beneficio admotum: Istæ equidem, morbo recente ægroque juvene, certissime ejiciendæ sunt. In Febre Nervosa idem remedium sæpe tentatum est; semper tamen perduravit, et aliquando etiam diuturnior fieri

visa est. Varietatem Spasmodicam nulla res derepente repressit; Synochoque Icterodi post cutim flavescentem nunquam adhibitum vidi.

Temperamentis fere omnibus, et potissimum sanguineis admovendum est. In debilibus revera parcius utendum; in debilissimis, quorum febris aut mitis aut Typhodes, fugiendum. In senibus anceps est periculosumque remedium. Pueri puellæque impuberes venæ sectionem male sustinent, et plerumque deliquium animi ante sanguinem plene missum iis minitatur; veruntamen quorundam febrim hoc modo expulsam vidi.——Multas autem methodo deplenti inimicos febrim continuam ita e medio tolli posse negantes audivi. Eos tantum ut exempla duo antea memorata, quibus centum et plura simillima proferre possum, spectent rogo.

II. Missio sanguinis ubi spes morbi protinus repellendi nulla manet, etiam ad reactionem generalem minuendam utilis fuit. Paucas varietates Puras, quas ipse vidi, aut venæ sectio aut quoddam aliud in medio sustulit.

Febres Inflammatoriæ, in quibus ægri auxilium medici sero petiverunt, hoc remedio insigniter sublevatæ sunt. In unico homine typo Spasmodico laborante, a Doctore Spens præscriptum, eventus felix secutus est; duobus autem aliis nulli auxilio fuit. Nec meliori sorte cæteri Nosocomiorum medici compluribus ejusmodi applicuerunt. Ubi ea species Inflammatoria, cui pulsus exiguissimi sed acres, caloris distributio inæqualis, deliriumque multum propria sunt, aliquem adorta est, solam spem in sanguine misso repositam dixi. In ea ad hoc remedium, morbo sæpe diu progresso, fugimus, sed quamvis indicia fausta, etiam fluente sanguine, apparuerunt, mors sæpe supervenit.

III. Eodem remedio signa singula compescenda sunt; atque interdum propter notas pleuritidis, enteritidis phrenitidisve severæ, quamquam morbus usque ad diem duodecimum, decimum quartum vel longius progressus est, necessarium fit.

Quo febris e medio tollatur, sanguinem mitti liberrime oportet. Quosdam ægri debilitate conterritos, quamquam ad remedium tentandum aliis morbi signis persuasos, denique dubitationibus conturbatos, uncias duodecim vel sedecim haurientes conspexi: Quæ ratio profecto plus damni quam auxilii afferet; morbo enim haud coercito, vires amplius franguntur, ægerque tarde convalescit. Febrin adultum implicantem raro unciis sedecim, frequentius viginti, sæpissime viginti quatuor, viginti octo, trigintave missis expulsam vidi; et aliquando e viro procero, forti et toroso, tres libræ vel amplius insigni cum beneficio eductæ sunt. Ad molestias sublevandas libram unam, vel cum semisse, mittere satis erit; sed in illo, cui pulsus exiguus aliaque infaustæ illius inflammatoriæ species signa adsunt, detractio copiosissima necessaria est; idemque vigor varietati Spasmodicæ applicandus. Aliquando venam iterum iterumque feriri opus fuit. Ad febrin dirimendam (præsertim si vi symptomatum, ut vena die tertio vel citius feriatur persuasi) nisi abierunt

symptomata, repetitione sæpe opus est. Ægroti Doctoris Spens, quos solos tractavi raro tertiæ venæsectionis indiguerunt; alii autem in compluribus exemplis ter quaterve cum exitu optato usi sunt. In varietate Spasmodica, atque ea Inflammatoria infelici, ubi morbi subito cohibendi nulla spes fuit, repetitio sæpissime necessaria.

Ad morbum e medio tollendum sanguinem pleno rivo profluere oportet. In quamplurimis vena brachii seligenda; sed in phreniticis, atque ad dolorem capitis in varietate Nervosa amovendum, arteria temporalis secari potest, atque tunc quo fluxus plenus sit ac diuturnus, vas prope aurem dividi convenit.

De Signis venæ sectionem Contraindicantibus nulla dicam. Nam mutabilia semper fuerunt; atque signa, quæ antea hoc remedium prohibere visa sunt, haud multo post modo præclaro, sanguine misso, evanuerunt. Profecto vix fuit ullum symptoma quod usum semper prohibuit. Ubi adfuit subsultus, vel delirium mussitans, vel petechiæ, vel etiam

ubi fæces inscio redditæ sunt, cum eventu felicissimo applicitum vidi. Petechiæ sane die quarto quintove erumpentes, quod sæpissime accidit, nunquam medicum a consilio deterruerunt. Pulsus semper medicum optime direxit. Attamen aliquando fuit fallax, ut supra memoratum. Atque in febre, ut in Enteritide pura, si signa abdominis inflammati adfuerint, pulsu debilissimo minime cohibendi fuimus.

Modus quo febris post venæ sectionem cessat, in ægrotis diversis variavit. Aliquando die critico applicita curas omnes statim dispulit; sed sæpius sudor criticus erupit. Hic aut cito post apparuit, aut usque ad diem proximum, quod sane frequentius, est commoratus: Scilicet, sanguine jam misso symptomata sublevata sunt, proximo mane lingua humidior et margine purior, vesperamque versus sudor, per paucas horas perstans omnes ærumnas sustulit. Hoc potissimum, sanguine die non judiciali misso, accidit; sed die critico, sine instanti febris decessu, misso, mu-

tatio usque ad diem criticum proximum retardata est. Exempli gratia, crisis sudorifica quatuordecim ægrotorum Doctoris Spens mense Augusto et Septembri post venæsectionem fuit: E quinque horum sanguis die quarto missus, et sudor die quinto erupit: Trium die quinto venæsectorum, uni sudor eodem die, duobus septimo fuit: Sanguinem e quatuor die sexto detractum, in omnibus sudor septimo; atque e duobus septimo missum in uno, eodem die, in altero, nono secutus est. In Inflammatoria Febre pulsu exiguo delirioque summo comitata effectus insignes fuerunt. Etenim pulsus plenus devenit, calor æqualiter distributus, et delirium multo diminutum. Plerumque autem signa omnia cito redierunt, atque quamquam venæ sectione repetita iterum minuta, reditus tamen alter morbum ultra vim medici tulit, ægrotumque cito interemit. Varietati Nervosæ adhibita plerumque dolorem capitis pectorisve mitiorem reddidit, aut penitus sustulit, nunquam reactionem generalem minuit. In Febre Spasmodica pulsus minores, debiliores ac frequentiores reddidit, agitationes exclamationesque

abripuit, ægrum unum tantum morte liberavit.

Duo casus antea traditi febris e medio sublatæ exempla sunt. Paucos alios hic enarrare mihi proposueram; sed jam pridem ultra fines dissertationum hujusce generis progressus sum; atque exempla omnia vix in ulla re a citatis differunt.

Debilitatem has sanguinis missiones secutam esse nunquam negarem. Veruntamen ægroti recreationem haud retardasse, fugacem fuisse, atque a debilitate illa post febrim severam perstante alienam me probaturum spero. Opifex die quarto uncias viginti amisit, et secundo exinde die se omnia robora recuperasse affirmavit. Amicus officiique socius, die febris suæ tertio sanguinis libras duas cum semisse, quinto uncias viginti in Nosocomio perdidit, et hoc nondum finito, sudor criticus ærumnas omnes abstulit. Sudore peracto, summa debilitas supervenit, ita ut loqui vel se movere molestum; nihilominus die posthac quinto in cathedra domum portari sine damno potuit; et nisi febrin recidivam nimis

diu, fiducia roboris, tertio exinde die sedendo intulisset, tempus recuperationis citissime confectum esset. Post sex menses iterum implicitus die quarto sanguinis uncias xxiv amisit, ineunte quinto sudor eum ab ærumnis liberavit, et nono foras exiit. Præterea quamplurimi alii ægroti, initio morbi missione sanguinis liberati, vires suas ita celeriter recuperarunt, ut satis diu lectos occupare nullo modo persuaderi possent. Contra, illi qui sine sanguinis missione febre diuturna impliciti sunt, tardissime convaluerunt. Ipse postquam uncias quatuordecim die febris tertio (quæ nihilominus sex alios dies perstitit) amisi, et post recidivam die decimo quarto ingruentem, et tertio exinde die abeuntem, tres fere hebdomadas alias in lecto absumpsi.

Quoad alia remedia paucissima dicenda sunt, quia sane tantum adjuvantia, atque apud Nosocomium eorum usus a receptis medicorum sententiis haud multum distulit.

Hirudines vel in febribus mitibus, ubi venæ sectione haud opus fuit, vel in severis ubi

sanguis sæpe missus repetitionem aliam prohibuit, sæpissime capiti dolenti, vel ægroto delirante vel confuso, aliquando abdomini inflammato adhibitæ sunt; atque licet aliqui utilitatem negaverint, beneficium insigne elicitum, quantitate quidem sanguinis extracti minime explicandum, vidi. Dolori capitis prope morbi initium parum profuerunt; sed eum stadio morbi progresso comitantem, vel levem, post maturam sanguinis missionem, relictam sæpe expulerunt.

Eadem de Vesicantibus dici possunt. Sæpius quidem pectori inflammato, aut capiti, confusione, deliriove multo existente, cum utilitate admota sunt; atque vomitum, nullis modis aliis mitigandum, epigastrio vesicato, penitus abolitum conspexi, ipseque expertus sum.

Quoad remedia Vomitoria, ea raro febrim Recidivam, rarius adhuc Primitivam in medio sustulisse, vel etiam mitigasse tantum observandum.

Nec de Purgantibus plura dicam, quippe quorum utilitatem omnes agnoscant. Cum

ægrotorum jam admissorum alvus diu adstricta fuerat, pilulæ aliquot vespere et proximo mane sal purgans fæces congestas certissime expulerunt.

Affusio frigida propter febrem compescendi vires ita laudata, huic epidemico raro applicari potest. Etenim inflammatio quædam interna usum prohibuit. Febres Puras præsertim impuberum sæpe coercuit: adultos iterum iterumque sine signis etiam mitigatis affusos vidi. Cum mense Octobri febricitarem, ipse rogans, die febris tertio, ter affusus fui. Pyrexiam insigniter levavit; sed post horam majore vi semper rediit; atque hoc, aliorum experientia confirmatum, observavi;—inter affusionem, respiratione violenta et spasmodica, dolorem capitis ingentem, quasi centrum cerebri occupantem, multo dolorem pyrexiæ superantem tardeque abeuntem, productum esse.——In casu Puro affusio dolorem pectoris induxit, quo tamen levi venæ sectione remoto, tepidaque affusione dein adhibita, febris die quinto abiit. In altera impubere, signis Cynanches Tonsillaris post levem venæ sectionem cedentibus, affusio

frigida dein adhibita die quinto morbum expulit. Lavationes corporis frigidæ tepidæque compluribus ægrotis eximio sed brevi ærumnarum levamini fuerunt. Capitis abrasi lavationes ex aqua cum aceto misto, fere semper gratissimæ fuerunt, et insigniter dolorem deliriumque mitigaverunt.

Anodyna, secundum Dr Home, (Prælect. Clin. Æstate 1817), rarissime ante diem nonum dari potuerunt; ac in compluribus exemplis haud sine damno serius adhibita vidi. Inflammatoriæ eæ minime ferunt; Nervosæ iis non egent, ægro enim satis est somni; in Spasmodicis oppressi capitis signa usum vetare videntur; attamen ægroto, in Nosocomio Febrili, decumbenti, cum brevi symptomatum remissione data sunt. Quoniam venæsectio illi Inflammatoriæ varietati, pulsu exiguo, calore inæquali, et cæteris comitatæ, opituletur, Anodyna ibi fugienda esse aliquis intelliget. Profecto confusionem, delirium, ruboremque faciei augent, pulsusque reddunt magis exiguos. In Synocho Icterode aliquot dies perdurato utilia fuerunt; feminæque

Typho vero laborantis vitam sub auguriis infelicissimis certe servarunt. Convalescentibus male dormientibus sæpe multa cum injuria data vidi. Pulsum enim mane proximo irritabilem reddunt; dolorem capitis inducunt, appetitumque cibi auferunt: dum ægro naturæ relicto dormitus bonus post paucas noctes certe redibit. Ægroto de rebus vel amicis suis anxio, anodynum amplum ad cavendam febrin recidivam insigni beneficio fuit.

Eadem fere de Vino notanda sunt. Stadio Synochi Icterodis progresso, Typhoque Puro, sed varietati præterea vix ulli beneficio fuit. In iis, qui pene moribundi advenerunt, utile forsitan fuisset; verum aut propter deglutitionem difficilem, aut quamvis aliam causam, post paucos conatus, plerumque recusaverunt.

Diaphoretica raro nisi cum aliis remediis potentioribus data vidi; atque idcirco eorum effectus haud mihi cogniti sunt. Ex his carbonas potassæ vel ammoniæ ope limonum succi effervescens certe gratissimum, aliisque minime potentia inferius videtur.

Alia remedia minora hic narrare inutile foret. Mucilaginosa et expectorantia, ubi tussis severa et excreatio difficilis adsunt, semper dare oportet. Ad vomitum compescendum, haustus effervescentes, vel aqua menthæ ceteræque aquæ stillatitiæ, vel opium purum, vel denique vesicatorium epigastrio applicitum, sæpe utilia invenientur. Diarrhœa, ubi febrin compescere videtur, haud cohibenda; sed profusa atque noxia cretaceis vel astringentibus, vel anodynis (sale purgante tamen aliquando antecedente) mitiganda est.

QUICUNQUE hoc tentamen legat, multa simillima in opere, nuper ab amico meo Doctore Welsh, de hac Febre scripto, videbit. Quod minime mirandum: Nam observationes sententiasque nostras semper invicem communicavimus. Quare, hac dissertatione scripta, antequam opus suum in lucem protulit, similitudines singulas haud notavi. Ubicunque, tamen, quicquid ab illo libro mutuatus sum,

hoc a praxi Nosocomii Febrilis deductum esse addidi.

Observationes meæ fere tantum ab ægrotis Nosocomii Regii tractatis, dum munere Medici Domestici *(Clerk)* fungebar, derivatæ sunt: Doctor Welsh scientiam suam in Nosocomio Febrili magna ex parte acquisivit. Igitur consensus inter observationes nostras, qui tam sæpe lectori occurrunt, earum veritatem confirmabunt. Opus ejus, profecto, multo amplius est et perfectius, quam limites hujusmodi Dissertationum permitterent; atque idcirco, si quis Historiam Febris minutiorem Methodumque Medendi (et præsertim quoad missionem sanguinis) plenius explicatam videre cupiat, illum librum utinam perlegeret.

Forsitan aliquis de Causis Prædisponentibus tantum me disputasse, Causasque Excitantes fere prætermisisse mirabitur. Feci, partim quia dissertationis meæ magnitudinem nimis auxisset, sed multo magis quia amicus meus Edvardus Turner hoc Thesis suæ Inau-

guralis argumentum selegit, atque præclare illustravit.

Atque occasionem, ubi amico Gulielmo Cullen gratias summas agam, me tandem invenisse delector: Iste enim per totum fere annum Medici Domestici munus mecum conjunxit, ejusque observationibus atque controversiis compluria supra narrata debeo.

FINIS.

CORRIGENDA.

In pag. 11.	lin. 4.	*pro* mucosæ	*lege* mucosa
—— 12.	— 3.	— redit	— rediit
—— 13.	— 13.	— natu	— nata
—— 14.	— 16.	— vertiginem	— vertiginem,
—— 32.	— 19.	— reddita	— redditæ
—— 38.	— 8.	— addita	— additæ
—— 46.	— 13.	— multas	— multos

Excudebant J. Pillans & Filius.